AUTHOR:

THEOBALD, JULIUS

TITLE:

DE ANNOMINATIONIS...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1852

Master Negative #

92-80467-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CE
Z81

Theobald, Julius, 1827-
De annominationis et alliterationis apud Ciceronem usu; dissertatio philologica scripsit... Iulius Theobald... Bonnae, formis F. P. Lechneri, 1852.
25 p. 24 cm.

Thesis, Bonn. 1852.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11 X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE ANNOMINATIONIS ET ALLITERATIONIS APUD CICERONEM USU.

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXX. MENSIS IUNII A. MDCCCLII

PUBLICE DEFENDET

IULIUS THEOBALD

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOANNES VAHLEN, SEM. PHIL. SEN.
IOSEPHUS DRESEMANN, PHIL. CAND.
HERMANNUS SCHNITZLER, PHIL. STUD.

BONNAE,

FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCLII.

Duae sunt res, quae permulceant aures, sonus et numerus.
Cic. orat. 49.

GEORGIO · FRIDERICO · LANGHELD.

AMICO · CARISSIMO · PARVOLVM ·

SVAVISSIMAE · STVDIORVM · SOCIETATIS ·

TESTIMONIVM · EXTARE · VOLVIT ·

SCRIPTOR.

Alliterationis usus apud scriptores Romanos quam late pateat, quantique sit ad ipsius linguae latinae indolem diiudicandam momenti, princeps perspexit Augustus Ferdinandus Naekius, qui quidem in dissertatione de alliteratione in antiquissimorum poetarum finibus consulto se continuit, ac rem ita pertractavit, ut post eum quod addas aegre reperias. Verum licet vetustissimi poetae pro artis metricae natura maxime alliterationis artificio studuerint, longius tamen pertinebat, nec spretum est a pedestris orationis scriptoribus. Quare operae pretium facturus mihi videbar, si ex scriptorum numero unius Ciceronis alliterationis studium altius persectarer. At in alliterationis exempla dum inquiro fere ultro delabebar etiam ad paronomasiam, de qua qui uberius scripserit, nemo mihi innotuit, praeter Paldamum qui dissertatione, qua solemnia scholae Gryphiswaldensis indicit, agit de repetitione vocum in sermone Graeco et Latino. Sunt autem variae de hac orationis forma sententiae a veteribus scriptoribus prolatae, verumtamen plerique grammatici in eo consentiunt, παρονομασίαν sive annominationem fieri coniunctione vocabulorum una vel paucissimis literis dissimilium, quorum significatio aut contraria, aut

diversa[1]) sit. Diomedes huius figurae speciem esse censet, quod alibi παρηγμένον dicitur[2]). Quem veram rem cum falsa confudisse, cum Naekio[3]) consentio; nam verisimile non est, res tam plane diversas uno eodemque nomine fuisse comprehensas, praesertim quum apud nullum alium grammaticum figuram priore loco a Diomede descriptam ad paronomasiam referri inveniam. Cum Diomede tamen consentit praeter H. Columnam[4]) Paldamus, qui ad annominationem coniunctionem vocabuli cum alio eiusdem radicis refert, quam coniunctionem quadam cum gravitate fieri affirmat. Recte quidem, nec enim verum sensit Naekius, qui Diomedem vituperans, factum facere ait, et id genus alia tum demum veram paronomasiam esse, si quo legatur cum acumine. Nempe est acumen quoddam huic geminationi; tamen a paronomasia excludo, cum utriusque figurae natura longe diversa sit.

---

1) Cic. de orat. II 64, III 54. orat. 49. Auct. ad. Herenn. IV, 21. Quintil. instit. oratt. IX. 3, 66 sq. Sosip. Charisius. IV 251. Rutil. Lup. I. 3. Aquila Roman. 27. Iul. Rufinian. VI 13. Martian. Capella V 531. (ed. Kopp.) Isidor. origin. I 35. Donat. 1774. Confer si placet Ger. Ioh. Vossii institut. orat. V. 5, 3. Ioh. Aug. Ernesti inst. rhetor. p. 165; Scheller, praecepta stili bene Latini p. 715 sq. Hieron. Columa. vit. Ennii. p. 12. fragment. Ennii p. 235 (ed. Hessel) Parei lexicon Plautin. sub voc. paronomasia Gronov. ad Liv. XXXI 22. Reinh. Klotz. quaest. Tull. p. 102. Exempla invenies ap. Beierum ad Cic. Lael. c. 21.

2) Diomedes II 441: παρονομασία est veluti quaedam denominatio, quum praecedenti nomini aut nomen aut verbum annectitur ex eodem figuratu; uti f u g a m f u g i t, f a c t u m f a c i t. Et aliter παρονομασία fit, cum dictio iteratur, mutata tamen aut litera, aut syllaba, quoties quis nomine simili utitur in significatione diversa ut apud Terentium: nam inceptio est a m e n t i u m haud a m a n t i u m.

3) de alliteratione sermonis Latini p. 829.

4) vitae Ennii p. 9.

Annominationis duo genera commemorat Zumptius[1]), unum, quum dictiones iterentur sonitu quidem simili, sed origine diversa et significatione, ut e r e p t i o n e m esse non e m p t i o n e m. Quo genere parcius usum esse censet Ciceronem, quam altero, quod a Ger. Ioh. Vossio[2]) πάρισον nominatum, eo fit, quod verba repetuntur eiusdem originis, sed praepositionibus distincta, ut Cic. pro Sull. 47. noli id putare omnino esse a m i s s u m, si quid est tibi r e m i s s u m. Auctor ad Herennium[3]) septem genera habet. Nos Zumptii partitionem, Ciceroni quidem accommodatissimam, sequemur. Cuius figurae, quam late pateat usus exempla nos docebunt, in quibus enumerandis ne ordine quodam careamus, id genus annominationis, quod priore loco descripsimus, in duas species partiemur. Fit enim annominatio elemento uno vel pluribus

I. *adiiciendis vel detrahendis.*

II. *immutandis vel transponendis.*

Ad priorem speciem haec fere pertinent exempla:

Pro Cluent 4.*) vestri auxilii est, iudices, huius innocentiae sic in hac calamitosa fama quasi in aliqua perniciosa flamma subvenire. 6. Si ratio convellet, si oratio labefactabit; de off. I 50. qu. Tusc. IV 60. de invent. I 2. De orat. II 247. temporis igitur ratio est ipsius dicacitatis moderatio. Verr. II 129. qui non tam caeli rationem quam caelati argenti duceret. 174. Possumne rem magis iudicatam afferre, magis reum condemnatum in

---

1) Ad Cic. Verr. IV c. 10.

2) Institut. oratt. V. 5, 6.

3) loco cit.

*) In Ciceronis locis laudandis praeter librum minores, quibus distribui solent particulas notabo, praeterquam quod in Philippicis Wernsdorfii editionem secutus, capita indicabo.

iudicium adducere? pr. Planc 3. Phil. II 26. si auctores ad deliberandam patriam desiderantur illis actoribus. De off. III 58. otiandi, non negotiandi causa. Verr. I 13. aut impudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. Verr. II 1,2. ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum. De amic. 88. quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo. Pro Mil. 31. abducere domum, contra dominum armare. Pro reg. Dejot 31. Pro Planc 66. non minus otii, quam negotii*).

Ad alteram pertinent: Verr. II 52. eversum atque extersum. Phil. IX 14. non paratum solum, sed peritum. Verr. II 78. ut ne praedonum quidem praetor consuetudinem conservet. 84. praetoris iniurias tacite, hospitis placide ferendas arbitrabatur. Phil. III 13. armis animisque. 22. ex oratore arator. V 8. nisi victorem victurum neminem. Verr. II 1, 45. non modo participem, sed principem. Ibid. praedibus atque praediis. Pro Rosc. Amer. 5. non electus unus sed relictus ex omnibus. 117. tribus praediis, hoc est praemiis sceleris. In Cat. I 9. qui de huius urbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitat. Phil. III 7. de patris et patrui parricidio. De divin. II 143. visus est in somnis amicae amictus esse amiculo. De invent. I 3. gravi et suavi commotus oratione. Qu. Tusc. V 32. in eo sitam vitam beatam. Qu. acad. I 2. nec tamen istum cessare, sed celare, quae scribat existimo. Ep. ad. fam. IV 5. quae res, quae spes. Orat. 107. Pro Rosc. Com. 19. qui eundem et laederes et laudares. Pro Quinctio 94. sin poterit Naevius id quod libet, et ei libebit quod non licet. Pro Marcel. 24. animorum ardore et armorum. Ad Att. 10. consul autem ipse parvo animo et pravo. De nat. deor. I 17. nolo existimes, me adiutorem huic venisse, sed auditorem.

*) Talia exempla Hieron. Columna vit. Enn. p. 12. nomine *προσονομασίας* comprehendit. vid. Halm ad Cic. orat. pro Sest. §. 66 pag. 193.

Ad annominationem sine dubio pertinet, si vocabula, quae sibi opponuntur, quantitate sola unius syllabae differunt. Exempla profert auct. ad Herenn. haec: Hunc a v i u m dulcedo duxit ad a v i u m; et: Hic tametsi videtur esse honoris cupidus, tamen non tantum c u r i a m diligit, quantum C u r i a m. Quae exempla rhetor vitandi potius, quam imitandi gratia, ut Quintiliani verbis utar, protulisse videtur; neque alia apud Ciceronem inveni. In comoedia et in ore vulgari talibus verborum lusibus aptior locus est, quam in gravi dicendi genere, nisi forte vis figurae sententiarum pondere augetur. Neque etiam *ἀντανάκλασιν*, quae vulgo dicitur, sive dilogiam huc trahere, confinem saltem annominationi iudicare dubito, quae fit, si vocabula eiusdem sonitus, sed sensus diversi in eodem orationis orbe usurpantur [1]). Exemplo utitur Quintilianus [2]): A m a r i iucundum est si curetur, ne quid insit a m a r i. Huiusmodi lusum verborum, per se satis frigidum etiam apud Ciceronem invenimus, ut ad Att. XIV 14. . . Quid ergo, ista culpa B r u t o r u m? minime quidem, sed aliorum b r u t o r u m, qui se cautos et sapientes putent. Verr. I 9. Dedit enim praerogativam suae voluntatis eiusmodi, ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur. Plus leporis gravitatisque in his inest: Verr. II 154. Huius (Verris) fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat, ipse autem ex equo nudatam a se provinciam prospicit. 155. multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere. Pro Sull. 62. et

1) vid. Halm ad orat. pro Sull. §. 62 p. 129.
2) Institut. orat. IX. 3, 70.

cum commoda colonorum a fortunis Pompejanorum reipublicae fortuna disiunxerit. Pro imp. Cn. Pomp. 1. omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ad Att. IX 16. (Caesar) iam opes meas, non opem exspectat. Verr. II 36. hominem admonent, rem esse praeclaram, refertam omnibus rebus.

Praeterea hoc loco commemoranda videtur quam Quintilianus [1]) nominum fictionem dicit, quae in iocosa quadam vocabuli immutatione versatur, ut si Tullius, quum fur sit, Tollius dicitur, aut Cicero de nefario illo praedone dicit, futurum ut omnia verreret, quum diceretur Verres [2]).

Non dissimilia sunt, quae Auct. ad Herennium [3]) profert specimina, quae casuum commutatione aut alia minus conspicua conversione in se vertunt aures. Haec et talia exempla qualia Naekius [4]) exhibet, quae dubites, utrum ad annominationem, an ad alliterationem pertineant, breviter tantum attingam.

Iam restat, ut de eo annominationis genere, quo Ciceronem valde delectatum esse Zumptius censet [5]) quae versatur in rerum proprietate praepositionibus distinguenda, nonnulla proponamus exempla: Verr II 1. hoc onere suscepto et recepta causa. 27. qui non ad Mucii innocentiam referatur, si cum isto conferatur. Pro Cluent. 19. Neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus. 123. ne

1) Instit. oratt. VI. 3, 53.
2) Aristot. Rhet. III 11.
3) IV 21.
4) p. 351.
5) Cf. etiam Halm ad orat. pro Sulla §. 12 pag. 65. Pro Sest. §. 78 p. 214.

subscriptio censoria non minus calamitatis civibus, quam illa acerbissima proscriptio possit afferre. Phil. VIII 3. non in dissensione et discordia civium, sed in maxima consensione incredibilique concordia. Verr. II 149. ita constitui a tuis patronis causam tuam et eos abs te institui. 179. non a me prolatam, sed ad me delatam. Pro Sull. 47. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius iniuriam, quam retulisse gratiam videar. 63. nihil de iudicio ferebat, sed poenam ambitus auferebat. In Caecil. divin. 12. de quo non praeiudicium, sed plane iudicium factum putatur. In Catil. I 27. ut exsul potius tentare, quam consul vexare rempublicam possis. Pro Sull. 12. delata ad vos, a vobis prolata. 43. ne aut negligenter turpis, aut diligenter crudelis esse putaretur. Alia huiusmodi exempla invenies: Pro Ann. Mil. 19 et 34. Pro Rosc. Amer. 3, 39, 47, 73, 89. Pro imp. Cn. Pomp. 26. In Cat. I 27. Pro Sest. 66. Pro Sull. 7 et 47. Pro Planc. 15. 22. 62. 101. Phil. II 8. Verr. III 27. Ad fam. V 2.

Quando et quibus sub conditionibus hac orationis forma Cicero usus sit et aures animosque lectorum auditorumve (id quod sine dubio voluit scriptor) delectaverit, id definire difficile est. Videtur vero maxime locum habuisse in notionum repugnantiis (ἀντιθέτοις) quas valde amabat Cicero; praeterea eam invenimus, ubi plura copulantur vocabula significationis affinitate inter se iuncta (in appositione) praecipue quae gradationem continent, porro in describendis rebus inusitatis, in comparationibus, quibus inest facetiarum quidam lepos, denique in proverbiis. Qua de causa nemo mirabitur, in orationibus ubi ad populi voluptatem totum se accommodat Cicero, praecipue adhibitam esse annominationem; paulo rarius in epistolis; modico usu in genere philosophico, in Bruto exemplum mihi non occurrit. Ubique autem usus huius figurae gravitate qua-

dam sententiae confirmatur [1]) et a petulanti ostentatione remotus est.

1) Quae de annominatione figurisque ei finitimis profert rhetor ad Herenn. IV. 23, hic apponere mihi liceat. Haec genera, ait, exornationum perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus; propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et consumtione operae. Eiusmodi autem studia ad delectationem, quam ad veritatem videntur accommodatiora. Quippe fides et gravitas et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis; et non modo tollitur auctoritas dicendi, sed offenditur quoque in eiusmodi oratione auditor, propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas neque pulchritudo. Quare quae sunt ampla et pulchra, diu placere possunt, quae lepida et concinna, cito satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. Quomodo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari ita si raro has inseremus exornationes, et in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem.

Itaque pergo ad alliterationem, in cuius disquisitione ceteris ut dixi palmam praeripuit Naekius. Superiorum qui hanc rem attigerunt memoro Bartholomaeum Marantam Venusinum, qui in quaestionibus Lucullianis de elementorum apud Virgilium apta compositione disserit, sed ὀνοματοποιήσει nimium pondus videtur tribuere. Quem sapienti cum delectu secutus est Ger. Ioh. Vossius, in Institut. oratt. lib. IV 2, 2 sq. Huc pertinet etiam Ioh. Iov. Pontani dialogus, cui nomen Actius, quem invenies in tomo II operum, quae soluta oratione composuit (Basil. 1538). Pontanus inde a pag. 236 rem, quantum Virgilium attinet, satis diligenti expositione tractavit. — Post Naekium autem eandem rem pervestigarunt: God. A. Ben. Wolffius in prolegomenis ad Plauti Aulularium, quibus solemnia scholae Portensis anno 1836 indicit; et aliquanto copiosius Cadenbachius in programmate gymnasii Essendiani. Illis duobus praestat diligentia Schlueteri commentatio, qua cum nostratium componit Latinorum alliterationem (Monasterii 1840).

Inter cetera vitia compositionis oratoriae complures grammatici et rhetores unius literae iterationem recensent, quam graeco vocabulo παρόμοιον vocant [1]). Solus Martianus Capella [2]) ei nomen: „homoeoprophoron" imponit. Sed obiter hi rem attigerunt, castigarunt tan-

1) Auct. ad Herenn. IV 12. Charis. IV 253. Diomedes II 441. Isidor. orig. I 35. Beda σχημ. 63. Donatus 1774.
2) V 514.

tummodo paucis verbis sui temporis usum, quo homines, ut ad pristinum loquendi usum reverterentur, vocum sonitu ludere solebant, cui rei magis, quam sententiae erant intenti; nam sensus pulchri et venusti paulatim in tantam abierat pravitatem, ut sine eiusmodi deliciis iam nihil pro diserto haberetur [1]).

Nostrates in hac figura describenda Pontani definitionem secuti sunt: *Fit alliteratio in versu, quoties dictiones vel binae vel ternae ab iisdem consonantibus mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus.* Quae definitio non omnia alliterationis genera complectitur. Pontanus ipse progrediente commentatione alliterationum facit mentionem, quae fiunt in mediis vocibus, quas ego quoque huc pertinere existimo, licet auribus minus percipiantur. Neque etiam excludendas esse putaverim alliterationes, quae fiunt, si finis vocabuli congruit cum insequentis vocis initio. Quam vim hae species habeant, videbimus infra. Homoeoteleuton, quod Naekius quartum genus dicit, veluti alliterationem in postremis syllabis, ego consulto a mea commentatione excludendum existimavi; nam si specimina, qualia Naekius profert, ut, multiloquium — pauciloquium, salsipotenti — multipotenti, alliterationes dicere vellemus, eodem iure etiam paronomasiam alliterationem in totis vocibus positam possemus nominare. Inter homoeoteleuton et alliterationem magnam esse cognationem, nemo negabit, et quamvis multa de hac quoque figura collecta habeam, tamen ut eam nunc intactam relinquam termini libello praescripti me admonent.

Non exiguas partes in lingua Latina alliterationem egisse constat; nam usus eius Romanis fuit domesticus et quasi inveteratus, id quod ex literarum monumentis eorum

---

1) cf. Noltenii lexic. antibarb. p. 1618.

antiquis perspici potest. Plautum et Terentium huius orationis formae tam fuisse studiosos, ut non multi versiculi ea careant, Naekius ostendit. Non minus Ennium hanc figuram in deliciis habuisse, H. Columna [1]) docuit: Non erat apud poetas hos alliterationis usus certis legibus circumscriptus, sed hac figura utebantur ubique ad aures delectandas veluti additamento pulchritudinis et numeri condimento, ratione habita sermonis vulgaris, quem alliterationem valde amasse, ex proverbiis Romanorum cognoscitur [2]). Sed in ipsa linguae Latinae natura magnam effingendarum alliterationum facilitatem fuisse, ex multis praepositionibus aliisque syllabis, quae nativo vocabulo praefixae cum aliis consonant, apparet, quamquam ego alliterationi, quae his solis efficitur, non multum tribuo. Permultae verborum consociationes usitatissimae similem quendam praebent sonitum et magnum linguae Latinae studium alliterationis indicant, ut: qui quia quum — qui quia quemadmodum — quid quod — nemo non — non nemo — nullus non — maxima minima — nullus nusquam — necne — quisquis — quamquam — meme — tete — sese — alia sexcenta.

Cui linguae Latinae genio indulserunt bonae aetatis scriptores, modum tamen adhibuerunt, ita quidem ut quo

---

1) vit. Enn. p. 9—12. fragm. Enn. p. 60 et 308 cf. etiam Guilielm. in Plaut. Amphitr. c. I, Taubmann ad Plaut. Menaechm. II 3. 53. Lindemann ad Plaut. Capt. II. 2, 15, 3, 31. et 49. ad Trinum. II. 2, 17 Stieglitz, de Pacuvii Duloreste. p. 81. Donat. in Terent. Andr. IV. 4, 38 Munk de versibus Atellanis p. 36.

2) Exempli causa afferro: prora et puppis — a capite usque ad calcem — amicus certus in re incerta cernitur — verba sine penu et pecunia — omnia secunda, saltat senex — saepe sub pallio sordido sapientia — crocum in Ciliciam — faber cadit cum ferias fullonem — succum et sanguinem — oleum et operam. Vid. Erasmi. adag. p. 4. et 640 ubi multa huiusmodi proferuntur.

strictius Romani Graecos imitati sint, eo rarius talia obvenie; nonnulli vero poeta aut non multum a veterum more recedebant, nimirum Lucretius alliterationis admodum studiosus fuit [1]) et Tibullus valde delectatus esse videtur artificio eiusmodi ut ab iis syllabis inciperent vocabula, quibus superiora erant finita. Neque tamen cuiquam eorum tam indecens et absurdus lusus in mentem venerat, qualis est in illo Ennii: „O Tite tute Tati, tibi tanta tyranne talisti.“ offendebantur enim aures teretiores Romanorum illis temporibus, unius literae nimis frequenti repetitione, quae insuavem asperumque sonitum reddit, praecipue si intelligebant, anxiam quandam sollicitudinem hoc artificium peperisse. Alii parcius alliteratione utebantur, nonnulli studium n ea evitanda posuisse videntur [2]), ita ut intelligas, huius figurae usum non minus ad linguae Latinae naturalem indolem esse referendum, quam ad scriptorum studium et ad temporis cuiusque ingenium et sensum.

Apud Ciceronem [3]) alliterationis usus est ita frequens, ut si omnia quae mihi obvenerunt exempla enumerare vellem, lectorem facile molestia afficerem; quare specimina tantum et ea maxime conspicua apponam. Notandum tamen est, Ciceronem, quum in libris philosophicis et in epistolis hac figura rarius usus sit et eo tantum consilio, quo alii scriptores, in orationibus hoc ornatu valde delectatum esse. Populus enim cum quo agit, amat orationem, quae sensus moveat et auribus eum aptet sensum, quem menti quasi fingat notio, et delectatur vocum consonantia et antiquo genere dicendi, quo etiam eruditiores persaepe admodum tenentur. Ut enim vino suavitatem affert vetustas, sic orationi species quaedam antiquitatis. Atque hoc potissimum animadvertere licet, quo incitatius et effrenatius feratur sermo, eo frequentiorem esse alliterationem, ut in prima oratione in Catilinam habita eam valde cumulatam videmus.

Quum lubrica sit quaestio de conditionibus quibus scriptores hac orationis forma usi sint, nec facile exemplorum magnus numerus certis rationibus possit subiici, multi, ut Naekius, alliterationem ad solam aurium delectationem adhibitam esse censent. Alii in scriptoribus, Virgilio potissimum, agnoscunt studium, ad rerum sonum et naturam accommodandi versiculos, ita ut omnibus his elementorum concentibus ὀνοματοποιΐαν fieri contendant. Quos perperam iudicare, non est, quod moneam. Apud Ciceronianae quidem aetatis scriptores alliterationem semper fere in iis locis invenimus, ubi sententiae gravitas aliave virtus externi cuiusdam subsidii qua ipsa magis augeatur et in lucem proferatur, usum commendat. Sed quis serio credat, magnum aliquem poetam ubique in sono rerum, quas nobis proponit, versibus reddendo laborare? minuit haec res et deprimit artis poeticae dignitatem. Illud modo statuere licet, ornamenta orationis cuiuscunque, quantam laudem ferre debeant inde diiudicandum esse, ut videamus, an quod voluerit scriptor id his ornamentis persuadendo, docendo, delectando effecerit.

1) Lambin. ad Lucret. V 991. Gifanius, collect. Lucret. sub voc. geminationes. Lachmann ad Lucret. aliquoties III 420. V 1391. VI 927. Adhibe etiam animadversiones Servii ad Virg. Aen. III 138. et ea quae Taubmannus et de la Cerda ad eundem locum monuerunt. Gierig ad Ovid. Metamorph. I 299. Obbarius ad Horat. epist I 1. 94. Seebodii bibl. crit. an. 1823. fasc. II p. 183. Ioh. Aug. Ernesti opusc. philol. et crit. p. 134. Scheller, praecepta stili bene Latini. p. 731. Victor. var. lect. XXXVI. 20.

2) cf. Bentley ad Manilii astronom. I 171. IV 183, 217, 478, 661. V 251.

3) Vide animadversiones Beieri ad Cic. de off. I §. 61. et ad Lael. c. 21. Otto ad Cat. maj. p. 102. Halm ad or. pro Sest. §. 48. pag. 166. ad §. 59. pag. 184.

Ex tribus quae statuimus alliterationum generibus maximam vim habet alliteratio, quae fit in primis literis aut primis syllabis. Alliteratio in mediis vocibus, cui multum tribuit Naekius plerumque cum homoeteleuto coniuncta est, et tum eam excludendam esse existimo, quia si qua inest gravitas, ea magis homoeoteleuto tribuenda est; hoc autem si non est, vim ei tantummodo inesse putaverim, si in syllabis principalibus invenitur aut si cum altera alliteratione in primis literis aut syllabis coniuncta est. Cum Naekio eas quoque alliterationes excludo, quae cum annominatione coniunctae sunt. Schlueterus in distributione quam profert eiusmodi alliterationes veluti gravissimas, primo loco ponit. Sed in omnibus Schlueteri exemplis ne unum quidem inveni, ubi alliteratio aliquam vim habeat. Maioris momenti annominatio est, cuius exornationi tantummodo alliteratio inservit.

Iam vero si, ut supra memoravimus a Cicerone aliisque bonae aetatis scriptoribus alliteratio nisi sententiae auctoritate teneatur, neque adhibita esse, neque aures in se vertisse videtur, facile omnibus erit persuasum apud Ciceronem multum esse alliterationis usum in omnibus iis locis, ubi notionum quaedam affinitas apparet, hoc est in appositione; cui addas coniunctum verbum cum nomine suo adverbiove aut nomen substantivum cum adiectivo. Deinde in rerum sententiarumque oppositione; facile enim est intellectu sonitus quodam concentu oppositionis vim augeri. In multis denique exemplis, ubi neutrum eorum accidit, agnoscas studium quoddam scriptoris, unum plurave vocabula prae ceteris in lucem proferendi, quae quo magis auditoris animo infigat, alia etiam vocabula facit alliterantia. Huc trahas etiam enunciationes onomatopoëticas et alliterationes in fine periodorum crebras. Proverbiales locutiones, et tales omnino enunciationes quibus aut facete aut salse dictum contineatur,

saepissime alliterationem habere, iam monitum est. Distributionem, quae omnia alliterationis exempla comprehendat arctisque finibus circumscribat, frustra exspectes.

In disponendis exemplis Naekium sequar eaque in literas digeram. Incipiam a vocalibus in quibus ni fallor rarior est usus alliterationis, quam in consonantibus, quippe ad percutiendas aures magis idoneis.

A.

Verr. III 148. Poteritne te ipse Alba, tuus antiquissimus non solum amicus verum etiam amator absolvere? II 73. amici advocatique. 117. animus atque amor. De off. I. 61. adulescentulorum more ardore quodam amoris. Phil. X. 10. armis animisque infestum inimicumque. XI 13. ex animo amicum. Verr. III 61. adducitur a Veneriis atque adeo attrahitur. Pro Mur. 9. tu actionem instituis, ille aciem instruit; tu caves, ne consultores tui, ille ne urbes aut castra capiantur. In Cat. II 23. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Pro rege Deiot. 31. Ille adiutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti. In Caec. divin. 47 cum acerrimo adversario. Pro Rosc. Amer. 67 scelus agitat amentiaque afficit. Orator 147. Nam omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat.

E.

In Cat. II 1. excessit, evasit, erupit. III 12. expositis atque editis. Phil. VII 9. excitati erectique.

I.

Pro Sull. 33. incensione urbem, internecione cives, interitu rem publicam liberavi. Verr. III 161 ex inerti et improbo et impuro. II 83. istius insignem iniuriam. Pro Sest. 69. manus Clodiana — incitatur, invadit, inermem

atque imparatum tribunum adoritur. 138. huic hominum generi fateor multos adversarios, inimicos, invidos esse, multa proponi pericula, multas inferri iniurias. Phil. III 4. insignite impudens. Ibidem: intolerabile est, servire impuro, impudico.

O.

Pro imp. Cn. Pomp. 48 obtemperarint, obedierint, obsecundarint. Verr. I 13. optimae atque opportunissimae. 35 in odium offensionemque. In Caecil. divin. 14. orant atque obsecrant. 15. non modo in oratione mea, sed ne in opinione quidem. In Catil. III 17. occurri atque obsisti. Pro Mil. 6. obsecrabo obtestaborque vos. Pro Sest. 146. Pro Sull. 104. Pro Mil. 42. ora atque oculos. In Cat. IV 1. Verr. II 81. Pro reg. Deiot. 5. Phil. V 18. quum omnibus, tum optimo cuique. Phil. XI 14. tantum abest, ut ornem, ut — oderim. Pro Planc. 19. et 51.

U literae nulla mihi obvenerunt exempla.

In consonantibus exempla sunt innumera; manifestiora tantum seligam.

B.

Pro reg. Deiot. 37. non modo ad bene verum etiam ad beate vivendum. Cat. mai 4.

C.

Pro Sest. 118. caterva tota clarissima concentione in ore impuri hominis — concionata est. Ibidem: qui antea cautorum convicio conciones suas celebrare solebat. In Vatin. 12. cum te non custodem ad continendas sed portitorem ad partiendas merces missum putares. Verr. II 30. cum consilio, hoc est cum sua cohorte cognoscere. Phil. VIII 3. clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem. 6. ego conservari coloniam civium cupio. Phil. IX 1. congressum colloquiumque. Phil. X 11. custodiat incolumesque conservet. XI 9. curae et cogitationes. Post red. in sen. 13. madenti coma, composito capillo. Phil. II 117. quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Verr. III 47. campos collesque. 218. quum iudices sitis de pecunia capta, conciliata. Pro Sull. 19. cum caedes, cum civium cruor cum cinis patriae versari ante oculos coeperat. Pro Planc. 2. conspectus et consessus vester reficit et recreat mentem meam. In Cat. I 1. Quos convocaris, quid consilii ceperis. Pro reg. Deiot 43. quorum alterum optare illorum crudelitatis est, alterum conservare clementiae tuae. Phil. VII 8. cuius ego excubias et custodias mei capitis cognovi in consulatu meo. III 3. caedem civium atque interitum civitatis. 2. crudelissimos conatus cohibuisset. 12. consilio et copiis Caesaris, consessu veteranorum. Verr. II. 1, 9. crudelissimum carnificem civium sociorumque. Ibidem: Cum cives Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit. 83. te circumsessionis causam et culpam in alios contulisse. Pro Rosc. Amer. 30. crimen incredibile confingunt. In Caecil. divin. 37. contentionem certamenque.

D.

Verr. II 38. omnibus dicis diem distulit. 1, 33. damna, dedecora. Pro rege Deiot. 11. defendendam datam. Phil. VII 8. dixi de periculo, docebo, ne coagmentari quidem posse pacem. Verr. III 108. damna et detrimenta ibid. 228. Phil. XII 11. dignitatem et decus.

F.

Pro Sest. 39. quod facile factu fuit et quod fieri debuit. 88 ad ferrum, ad faces. Post red. in sen. 7. Pro Sest. 90. qui ab aris, focis ferrum flammamque depellit. Ad Quir. post red. 14. ferro et facibus iretur, consulis fasces frangerentur. Verr. II 18 fugam et furtum. 57.

famam fortunasque. Phil. XII 2. falsa atque fallaci. Pro Sull. 83. ferrum retuderim flammamque restinxerim. Pro Planc. 71. ferrum in foro, flammam in delubris. Pro Sull. 19. infestae ac funestae faces. Verr. I 7. furta atque flagitia ibid. 17. et II 1, 21. Pro Rosc. Amer. 113. fama mortui, fortuna vivi. Orat. 9. formis et figuris. In Cat. I 13. facinus, flagitium. Pro Mil. 42 fragile aut flexibile. In Cat. III 1. e flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati ereptam. Pro Ligar. 30. falsi testes, fictum crimen. Phil. V 9. firmissimorum et fortissimorum. Ibid: flos Italiae, firmamentum imperii.

G.

Phil. II 49. ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam V 1. X 1. gaudio et gratulatione.

L.

Pro reg. Deiot. 11. legati litteraeque. Phil. VI 2. lenonum et latronum. Verr. II 191. tanquam in luto demersam esse in litura. Phil. II 115. quantum inter laudem et lucrum intersit. Verr. III 16. a legibus ad libidinem. 177. nec leviter haec improbissima lucra ligurientem. Pro Sull. 91. ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrimas. Pro Planc. 60. liberos ad laborem et laudem excitaret. Pro Marcel. 29 longe atque late.

M.

In Vatin. 26. quo etiam maiore es malo mactandus Cat. mai. 17. multo maiora et meliora Phil. V. 18. Verr. II 122. pro multis ac magnis tuis maiorumque tuorum meritis. Phil. II 10. moderationem modestiamque. Pro Planc. 12. retinens veterem illum officii morem, non infucata malevolentia, non assueta mendaciis, non fucata, non fallax. Pro Ligar. 14. in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere. Pro Sest. 68. decesserat frater meus magno

squalore, sed multo etiam maiore moerore. In Cat. II 16. nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Mallium, quam ad Massilienses ire malit. Verr. II 184. metu ac malo 1, 39. 154. more potius suo, quam merito tuo. Pro Arch. 27. Martis manubias musis consecrare.

N.

Pro Sull. 88. ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur. Verr. III. 142. nova lege atque adeo nulla lege. Pro Cluent. 199. nomina necessitudinum, non solum naturae nomen mutavit. Verr. II 60. debebat Epicrates nummum nullum nemini.

P.

Pro Sest. 89. cervices tribunus plebis privato, praestantissimus vir profligatissimo homini daret. Verr. III 183. an quod te praetore paucorum adventu myoparonum classis pulcherrima, Siciliae praesidium propugnaculumque provinciae piratarum manibus incensa est? Pro Cluent. 7. portum atque perfugium. Pro Cluent. 12. non pudor, non pudicitia, non pietas. Verr. II 23. probatissimi et prudentissimi. 29. in provinciam, quasi in praedam. 80. patre innocentissimo pecuniaque patria privatus est. Phil. VIII 10. aut libertas parata est victori, aut mors proposita victo. IX 9. pestiferi cives parricidaeque. 15. his praemia promissa sunt, illis persoluta. II 15. pudorem cum pudicitia perdidisti. II 85. tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu reiiciebat. Verr. III 27. cum in his rebus publicanus petitor ac pignerator, non ereptor neque possessor soleat esse. 65. profligatissime et perditissime. 225. periculosum provinciae, perniciosum nostro ordini. Pro Planc. 94. cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi, salute praesertim proposita, parcam. Pro Planc 26. ei meas praesentis preces non putas profuisse. Orat. 42. pompae quam pugnae aptius. Verr. I 13. portus piratis praedonibusque patefacti.

Verr. II 1, 103. quum ille punctum temporis nullum vacuum peccato praeterire passus est. In Caecil. divin. 8. id nunc poscitur, id iam populare atque etiam plausibile factum est. Verr. II. 1, 131. pupillos et pupillas certissimam praedam esse praetoris. Pro Rosc. Amer. 38. ad perniciem profligata atque perdita. 133. plura praeterea praedia neque tamen ullum nisi praeclarum et propinquum. In Cat. I 5. patent portae, proficiscere 33. peste ac pernicie. II 25. ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum, hinc fides, illinc fraudatio. Ibid. in pernicie populi posthac popularis esse posset. Phil. V 16. qui quum omnia ad perniciem nostram pestifero illi civi paterent. 9. non profectus est, sed profugit paludatus. Phil. VII 8. pax civilis ullo pacto esse potest.

Q.

In Cat. I 16. quae quidem quibus. Pro Arch. 10 quae quum ita sint, quid est, quod. 15. quaeret quisquam, quid. Pro Rosc. Amer. 1. quid sit quod, quum. Orat. 40. nam quoniam quidquid est, quod. Verr. II7. et quoniam quasi quaedam praedia.

R.

Phil. II 48. contra rempublicam et religionem. Verr. III 200. regna ac rapinas. Pro Sull. 10. sin est in me ratio rei publicae, religio privati officii. Verr. V. 172. re ac ratione. Pro imp. Cn. Pomp. 51. Pro reg. Deiot. 27. Mitto innumera exempla alliterationis in syllaba re, quae mihi non multum valere videntur, quamquam Hieron. Columna [1]) et Naekius [2]) iis multum tribuunt.

---

1) vit. Ennii p. 60.
2) p. 367.

S.

In Cat. II 23. sicas vibrare et spargere venena. Pro Mil. 12. senatus non sententiis suis solum sed etiam studiis comprobavit. Phil. III 1. summo consilio, singulari concordia. Verr. I 53. antea socii, nunc servi et supplices. II 1, 81. Pro Arch. 19. saxa et solitudines. In Caecil. divin. 5. socii stipendiariique. Pro Rosc. Amer. 103. sector et sicarius. 87. ex tota societate, hoc est ex tot sicariis. 140. sincerum sanctumque. Pro Sest. 78. praeter eos, qui ab illo pestifero ac perdito cive reipublicae sanguine saginantur. Cato mai. 14. ita sensim sine sensu aetas senescit. Phil. II 23. stulti erat, sperare, suadere impudentis. 59. saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium. 115. et sensus stupore suavitatem sibi non sentiunt. Pro Sull. 1. ne supplicio quidem suo satiari posset. 34. summi consilii, singularis constantiae.

T.

Verr. I 56. hoc testibus, hoc tabulis II 1, 9. II 1, 7. quae non modo ex tuis templis ablatae sunt, sed etiam iacent in tenebris. Verr. II 1, 9. tot, tantis, tam nefariis. Orat. 93. terribili tremere tumultu. In Cat. I 12. templa deorum immortalium, tecta urbis II 29. Verr. III 189. testimoniis omnium et tabulis oratorum. Pro Sull. 40. ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas in illa turbulentissima tempestate reipublicae despexerim. Pro Planc. 94. tutum atque tranquillum. Verr. II 14. tot et tantae et tam graves civitates, tota denique respublica. Phil. VIII 2. Quid est enim tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur.

V.

Pro Sest. 48. ne videret victorem vivus. 59. vivus ut aiunt, est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus.

Pro Sest. 140. invulnerati invictique vixerunt. Post red. in sen. 7. non violatum manu, sed vulneratum ferro. Phil. I 14. non modo voce, sed ne vultu quidem. Verr. III 21. vexatum atque vastatum. Pro Marcel. 17. vidimus tuam victoriam, gladium vagina vacuum non vidimus. 12. a quo ipsius victoriae conditio visque devicta est. Verr. II 1, 57. maior est virtutis victoriaeque iucunditas, quam illa voluptas. In Caecil. divin. 70. a vestigio ad verticem. Pro imp. Cn. Pomp. 11. vinculis et vulneribus. 59. summi viri vita atque virtute. In Cat. I 2. Senatus hoc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo vero in senatum venit. 31 venis atque visceribus. Pro Mil. 30. vi victa vis, vel potius virtute oppressa audacia est. Phil. III 11. nisi, qui vicisset victurum neminem.

Non omnes literas ad effingendas alliterationes aequabiliter adhiberi exempla quae protuli, docent. Ita vocalium usus multo rarior est, quam consonantium, inter quas etiam c, p et v multo frequentissimae sunt, rariores f, m, s, d, t et r, rarissimae b, g, h, l, n, q. Causa esse videtur, quum quod verborum numerus, quae his literis incipiunt rarior, est tum quod hae literae ad feriendas aures minus sunt idoneae.

Martianus Capella [1]) vitia orationis percurrens vitandas esse censet hiulcas et asperas voces, frenos etiam, qui fiant ex asperrimis literis in unum concurrentibus, et iotacismos, mytacismos, labdacismos et polysigma. Exempla quae profert omnino asperum et insuavem sonitum reddunt, qua de causa scriptores harum literarum concursum evitasse videntur, id quod etiam in Cicerone animadvertere licet. Sigmatismus autem qui ab aliis quoque valde reprehenditur, tam frequenter apud Latinos invenitur, ut putidus sit, qui

---

1) V 514.

ubique eum damnare velit [1]). Reprehensio eius a Graecis orta esse videtur, quorum huic literae iniquus fuit Pindarus, qui odas ἀσιγμοποιηθείσας composuisse fertur et Plato comicus et Eubulus cachinnos theatri excitarunt versu istoc Euripidis in Medea:

„ἔσωσα σ'ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι“.

De alliteratione quae fit concentu ultimarum syllabarum prioris vocabuli cum insequentis initio [2]).

Hoc genus alliterationis apud bonos Romanorum poetas, Tibullum maxime haud raro invenitur, et in mediis et in postremis versibus. Servius [3]) versum cuius in fine eaedem syllabae iterantur, metrum echoicum vocat, hoc proferens exemplum:

„Exercet mentes fraternas grata malis lis“

Cum quo consentit Maranta, qui poetas et Graecorum et Romanorum eiusmodi artificio echo imitari monet [4]). In

---

1) cf. Voss. instit. or. IV 2, 3. I. C. Scaliger poet. II 32. Victor. var. lect. XXXVI 20.

2) Vide quae de hoc genere notaverunt Quintil. instit. oratt. IX 4, 41. Aquila Rom. de figuris sentent. et eloc. 27. (ed. Frotscher) Mart. Capella V 518. Isidor orig. I 33. Victor. var. lect. XVI 19. Burmann ad Ovid. Heroid. II 61. et ad Amor. III 7, 26. Caspar. Barth. comment. in Gratii Falisc. cyneget. 10, de la Cerda ad Virg. Aen. II 27. Scheller praecepta stili bene Latini p. 726. Klotz pro Cicerone in Dion. Cass. et Plutarch. dissert. p. 27. Adhibe etiam quae supra attulimus ex Beieri et Ottonis annotationibus.

3) ad Virg. Aen. IX 22.

4) Ut in disticho Leonidae (Anthol. Pal. VII 548.) et in duobus his trimetris a Gauranda compositis (Anthol. Planud. 152.):

Ἀχώ φίλα μοι συγκαταίνεσόν τι– τί;
Ἐρῶ κορίσκας· ἃ δὲ μ' οὐ φιλεῖ: φιλεῖ.

Belle etiam echo imitatus est Iohannes Secundus carmine: viator et echo inscripto.

mediis quoque versibus haec figura saepius ad aurium delectationem adhibetur et perperam iudicant, qui eam velut invenustam vituperant [1]. Neque etiam Cicero dedignatus esse videtur talem compositionem, qua prioris verbi exitus simili posteriore excipitur. Multas tamen eiusmodi geminationes scriptori tantum excidisse, nec auditorum aures in se vertisse videntur, ut: pro Arch. 22. laude decorantur. Existimo igitur, ea tantum exempla huc esse trahenda, in quibus aut gravitas quaedam sententiae usum huius figurae commendaverit, aut quae sint eiusmodi, ut ipsa vocum complosione enunciationi lepor quidam aut venustas afferatur, ut in his: Pro Cael. 31. me mehercule invito, id. 76. Phil. I 20. posse se salvos esse. Pro Sull. 1. animo molestiam. Pro Marcell. 8. vi vinci. Pro Mil. 30. vi victa vis. Pro Planc. 54. caluit re recenti. Verr. III 16. ante te tenuerant. Verr. III 144. tute de te profiterere. Pro Rosc. Amer. 53. esse sese. Pro imp. Cn. Pomp. 48. domi militiaeque. In Cat. I 5. magno me metu liberabis. Cat. maj. 8. neque enim in summa inopia levis esse senectus potest.

Plures etiam repetuntur syllabae, nec hoc ego genus

1) Recte Broukhusius (ad Tibull. I 1, 13 Servium reprehendit, quod plus quam maiores sapere voluerit, quos hanc geminationem valde amasse, exemplis multis demonstrat. Notaverat enim Servius (ad Virg. Aen. II 27.), ubi legitur: „Dorica castra" haec fere: Mala est compositio, ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo; plerumque enim κακόφατον facit. Consulto et dedita opera eiusmodi artificium a scriptoribus adhibitum esse censuerunt: Muret. var. lect. I 15. Turnebus advers. VII 19. de la Cerda ad Virg. Aen. II 27. Taubmann ad Virg. Aen. III 183. Ioh. Aug. Ernesti de grata negligentia orationis in eius opusc. philol. et crit. p. 183. Quod quamvis ex parte concedam, tamen dedita opera id factum esse, nimium videtur. Eiusmodi geminationes sua sponte venisse scriptoribus, cum Naekio existimo, et quum venissent acceptas esse cupide.

cum Naekio ad homoeoteleuton sed ad ipsam alliterationem trahi volo: Lael. 21. rarum genus, et quidem omnia praeclara rara (proverbialis est locutio). De off. I 61. ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudemus. Orat. 2. nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxima moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Hoc exemplo praeclare gravitas huius alliterationis elucet. Ep. ad Brut. apud Quintil. IX 4, 41. res mihi invisae visae sunt, Brute.

Naekius etiam huc trahit exempla ubi inter se congruunt syllabae in mediis vocabulis positae, nec continuo se excipientes, ut: inte*ll*existi *l*epide — bli*t*ea lu*t*ea — *not*um, cog*nat*um, quae ego ut casu orta et ad aures feriendas minus idonea excludenda esse putavi. Exclusi etiam hiatum, quamvis alliterationi confinem, in Cicerone non magnas quem partes agere videmus.

Vita.

Natus sum Iulius Theobald anno MDCCCXXVII Ulmae, qui est pagus Rhenanus, patre Christiano parocho, matre Iohanna e gente Muench, quam praematura morte mihi ereptam lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. A teneris, usque ad annum decimum quintum domi praecipue educatus, primisque literarum elementis imbutus, gymnasium Wetzlariense adii. Ibi per quinque annos et semestre iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, a magistris optimis dilectissimis institutus sum, quorum doctrinae et benevolentiae nunquam immemor ero. — Anno h. s. XLVII. mense Octobri maturitatis nactus testimonium, Bonnam profectus sum, ut in universitate alma Fridericia Guilelmia Rhenana philologiae studiis me darem. In civium academicorum numerum receptus sum ab Ill. van Kalker, Rectore Magnifico et apud Ill. Aschbach, Decanum maxime spectabilem nomen rite professus sum.

Interfui autem per biennium scholis Ill. Ritschelii, Welkeri, Dahlmanni, Aschbachii, Loebellii, Brandisii, Schopeni, Diezii, Kinkelii, Ritterii, Bernaysii, Heimsoethii. Morbo domi per semestre retentus, inde Berolinum me contuli, ubi Ill. Trendelenburgii, Boeckhii, Lachmanni, Micheletii, A. Schmidtii, Hertzii, scholas frequentavi. Quibus omnibus viris illustrissimis doctissimisque, qui optime de me meriti sunt gratias ago, semperque habebo, quas debeo, maximas.

Themata.

1) *Tribuni plebis comitiis curiatis nunquam creati sunt.*
2) *Cic. pro Sull. XXV, 71 legendum est: vi conatuum et armis.*
3) *Naevius non scripsit hexametros.*
4) *Alliterationem a Graecis consulto quaesitam esse, demonstrari nequit.*
5) *Iuvenal. Sat. I v 143 e codice Pithoeano „crudus" reponendum est.*
6) *Ennius non scripsit togatas.*
7) *Errant, qui in gymnasiis linguis recentioribus et artibus, quae ad vitae usum pertinent eandem vim tribui velint, quam linguarum antiquarum studio.*